

Dissertationem hanc inauguralem de malo hypochondriaco ... / submittit P. Brand.

Contributors

Brand, Paul, -1687.
Borch, Ole, 1626-1690.
Paulli, Simon, 1603-1680.
Københavns universitet.

Publication/Creation

Hafniae : Typis Matthiae Georgii F. Godicchenius, [1676]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/spxfzu94>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JESU

*Alma Patris sapientia, omnis essentia, veritatis & cognitionis
α et ω benè fortunante!*

AUTHORITATE ET CONSENSU

*Illustris & Gratosissima Facultatis Medicæ in florentissimâ
Academiâ Regiâ Hafniensi,*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Amplissimi Excellentissimi atq;
Experientissimi*

DN. OLAI BORRICHII

Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris, Philologiæ, Chemiæ
ac Botanices Professoris Regii celeberrimi,

Dn. Præceptoris privati, Patroni ac Promotoris
sanctè devenerandi,

DISSERTATIONEM HANC

INAUGURALEM

DE

MALO HYPOCHON-
DRIACO

PRO

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS,
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGI-
TIME OBTINENDIS

*Solenni & ingenuo Eruditorum judicio
submittit*

PAULUS BRAND,

Sunderburgo - Cimber.

Ad d. 27. Septembris M. DC. LXXVI.

In Auditorio Superiori.

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GEORGII F. GODICCHENIUS.

APPROBATIO.

Non diffundam me in laudanda hac *Dis-*
sertatione Medica Clarissimi Candidati
Doctissima, ne vino vendibili hederam
suspendam; quod mearum puto partium esse,
Lectoribus commendo, qui isto malo tentantur,
& ad prælum admittenda censeo quæcunque hic
DE MORBO HYPOCHONDRIACO do-
cto calamo exaravit Autor. Hafniæ XV. Sept.
clō lōc LXXVI.

TH. BARTHOLIN.

Fac. Med. Decan.

Amplissimo

COLLEGIO MEDICO HAFNIENSI

*VIRIS Magnificis, Excellentissimis, Clarissimis atq; de
Republicâ Medicâ optimè meritis,*

CONSILIARIIS, ARCHIATRIS, PROFESSORIBUS ET DOCTORIBUS,
Ordine Alphabeticò positis.

D. D. THOMÆ BARTHOLINO, Supremi Tribunalis, quod Hafniæ
in aula Regia est, Assessori spectatissimo, Archiatro Regio emi-
nentissimo, Academiae Regiae Professore Honorario, Facultatis
Medicæ Decano perpetuo ac Seniori longè meritissimo.

D. D. ERASMO BARTHOLINO, Supremi Tribunalis Assessori gra-
visimo, Medicinæ Professore Publico experientissimo, & Mathe-
matico incomparabili.

D. D. OLAO BORRICHIO, in inclytâ hac Academia Professore Re-
gio, Medico, Anatomico, Chemico & Polyhistori celeberrimo.

D. D. JOH. HENRICO BRECHFELD, Serenissimæ Reginae SO-
PHIÆ AMALIÆ Archiatro.

D. D. FRIDERICO HAMMERICO, Classis & Nosocomii Regii Med.

D. D. MATTHIÆ JACOBÆO, Græcæ Lingvæ Professore Regio.

D. D. CASPARO KØLICHEN, Regiæ Metropolis Danorum Physico
laudatissimo & Practico longè felicissimo.

D. D. HENRICO à MOINICHEN, Archiatro Regio Gravisimo,
Anatomico & Chirurgo celeberrimo.

D. D. SIMONI PAULLI, Archiatrorum Regionum Seniori ac Præ-
lato Aarhusiensi.

D. D. WILHELMO WORMIO, Physices & Medicinæ Professore
Publico ordinario, Bibliothecario Regio, Philosopho acutissi-
mo & Oratori disertissimo,

**DOMINIS PRÆCEPTORIBUS, FAUTORIBUS AC PATRONIS GRA-
TIOSISSIMIS,**

Nec non

VIRO plurimum Reverendo, Clarissimo atq; Doctissimo

DN M. NICOLAO BRAND, Ecclesiæ Sunderburgensis Pastori pri-
mario vigilantissimo, Parenti pietate filiali, omnisque observan-
tiæ cultu prosequendo,

EXERCITIUM HOCCE INAUGURALE

In uberiores sui & studiorum suorum commendationem

dicat atq; offert

PAULUS BRAND.

JEHOVA JUVA!

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

de

MALO HYPOCHONDRIACO

Prooemium.



Prophetis olim & Apostolis virtute divinâ humani ingenij vires superâte, profligatas fuisse varij generis infirmitates, nemo sacris initiatus Christianis ignorat. SALOMONI, mortalium ab orbe condito sapientissimo, divini Numinis afflatu lumineq; astrorum, metallorum, animalium, plantarum maximarum minimarumq; solidam contigisse notitiam, sacrarum literarum oracula loquuntur. Quid? quod Teste Marco, sacrosancti Evangelij Scriptore, inter alia eximia credentibus concessa dona, morborum omnium certissimam curationem, per manuum impositionem pollicetur æternæ salutis Magister in cælum abitarus. O ter quaterque beatos Prophetas, Apostolos, Salomonem, aliosq; credentes, quibus tam præsentem efficacemq;, habitu quodam infuso, morborum omnium curandi potestatem divina concessit benignitas! Nos contrâ infelices, quibus hodiè cum Hippocrate Medicorum Coryphæo confitendum est: ἡ τέχνη μακρὴ ὁ δὲ βίος βραχύς. Artem Medicam esse longam, imò longissimam, paucorum annorum experienciâ edoctus satis superq; didici. Quàm longa & inextricabilis ad Anatomem ducat via: quàm longis locorum intervallis disita sint plantarum cubilia: quàm profundè terræ visceribus immersa metalla: quàm longâ & prolixâ indagatione veræ morborum causæ ac diversa innotescant symptomata, quanto denique & labore & pretio chemicorum experimentorum arcana comparentur, satius est tacere, quàm paucis dicere. De Vitæ verò humanæ brevitate, quoties mentem meam subit cogitatio, velim, nolim, exclamare cogor: Eheu! quàm totus homuncio nihil est. Qui paulo ante Infans vagiebat in cunis, repente adultus, mox rapidâ annorum vertigine senio fractus supremam momento agit animam. Fragilitatem vitæ humanæ vivis depictam coloribus exhibet divini spiritus Numine afflatus Jacobus Apostolus, comparans vitam cum vapore,

re, exiguo tempore apparente & postea evanescente, cap. 4. v. 14. Hunc vaporem seu micantem vitæ flammulam facile opprimit & extinguit gula nequitia ac Diætæ vitium: Hunc cælum venenato insectum miasmate inopinatò suffocat & strangulat: Hunc benè multæ morborum catervæ frangunt ac debilitant. Tot tantuq, qui obviam irent, vitæ incommodis divinâ providentiâ non defuere superioribus seculis ac temporibus Hippocrates multi ac Galeni, tum nostris Paracelsi, Helmontii, Sylvii, Willisi; nec hæc ætate desiderantur Medici experientissimi, omni certè encomio longè dignissimi, quorum in cognoscendis morborum causis sagacitatem, in debellandis ac radicitus tollendis dexteritatem admirari facilius est quàm imitari. Horum in numerum, cum & ego olim magna cum contentione animi recipi in votis habeam, quò voti mei compos siam, gratiâ DEi ac ope fretus nullis laboribus, nullis vigiliis, imò & quantum res patitur, nullis parcere impensis animus est. Proindè licet mihi, tanquam levis armaturæ militi nondum ea ad manus sint arma, quibus omnes corporis humani nocentissimos hostes sive morbos expugnare sustineam; primam tamen, utinam feliciter! utinam cum applausu eorum, quorum interest! conjiciam hastam in decantatum illud malum, quod hypochondrijs est inimicissimum. Cujus morbi causas, præter & curandi rationes dum exercitiij ergò, pro ingenij mei modulo, in apri-cum produco, ne conatibus meis fortunatus desit eventus, antequàm ad propositam disputationis telam pertexendam accingor, TE, Pater luminum ac sapientiæ Parens, cum Salomone ex totis præcordijs meis precor: Da, DEUS Patrum meorum, & Domine misericordiæ, da, quæso, mihi sedium tuarum assistricem sapientiam: & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis & minor ad intellectum. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur. Mitte illam de cœlis sanctis Tuis & à sede magnitudinis Tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam, quid acceptum sit apud Te. Scit enim illa omnia & intelligit, & ducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in suâ potentiâ, & erunt accepta opera mea!

CAPUT I.

Definitionem nominalem & realem exponit.

DIsquisitio Nominis Grammatica quamvis ad philologico-criticam potius, quàm sacrae Medicinæ cathedram spectet, ægrotis non verbis, sed herbis divitem exoptantibus Medicum; attamen, quoniam juxta *Galenum lib. 1. M. M. c. 5.* ὅτι πάντων ζητούμενων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τὸ ὄνομα: In omnibus, de quibus queritur, ad rationem oportet assumi nomen: Merito & nos ad ipsius monitum, de nomine dissertationis nostræ primum filum ducendum putamus.

Nomen sortitur à loco affecto, scilicet hypochondriis, à χόνδρος, quod significat cartilaginæ, & à præpositione ὑπό sub, quasi dicas sub cartilaginibus. *Hypochondrium* verò secundum *Anatomiam Bartholini* renovatam, p. 13. dicitur pars superior lateralis infimi ventris, cartilaginibus costarum inferioribus vicina. Ubi tamen notandum, hoc loco paulo latius id nominis extendi posse, cum malum loco jam designato non adeò strictè circumscribatur; sed ferociam suam aliis quoque abdominis partibus sub hypochondriis & infra hæc sitis exerceat; (qua ratione etiam in sexu sekvioire hysterica passio hypochondriaca appellari poterit, Judice *Barbeto in prax. p. 139.*) quin & reliquos ventres sæpe numero torqueat. Idcirco tamen nomen hoc neutiquam mutandum, quoniam hoc malum, de quo nobis sermo est, eam duntaxat affectionem comprehendit, quæ focum & receptaculum agnoscit ventriculum, materiâ acidâ & viscida, partes infestante reliquas, infartum, & quæ contradistingvitur passioni hystericae propriè sic dictæ, sæminis familiari, & insigniori respirationis difficultate comitatæ, rarius in maribus observabili, utut duo hæc pathemata *Hypochondriacum* & *Hystericum* in radice arcto satis nexu juncta videantur.

Variis quoque nominibus gaudet hoc malum: Dicitur enim *Passio hypochondriaca*, *Affectio hypochondriaca* Sylvio, *Tartarus hypochondriacus* Chemicis, πᾶθος Φυσῶδες affectus flatuosus Diocli & Ætio, propter flatuum familiaritatem in sinistro hypochondrio contentorum, *Mater Scorbuti* Barbeto audit, cap. 3. *prax.* Nonnullis

Melan-

Melancholia hypochondriaca salutatur, quod plurimi malo hypochondriaco correpti melancholiâ laborent. Danico idiomate vocatur: *Miltens och Krasens Forstoppelse*. Germani appellant: *Das Miltische Herzklopfen*: Die Krankheit unter den kurzen Rippen: Der Gedâhren Krankheit / eò, quod strenui Musarum Cultores inter libros chartasq; abdomen comprimentes, hinc liberiori diaphragmatis descensui viam denegantes, undè tardior humorum fit circulatio, hòc malò ut plurimum vexentur.

Hiscè decenti brevitate prælibatis, rectò tramite ipsam argumenti præsentis nucleum degustaturi ad *παραλογισμὸν* properamus. Ubi primâ fronte illicò sese offert definiendi necessitas, omnium suffragio inevitabilis. Delineamus itaq; malum hypochondriacum *dolorem gravativum & constrictorium variatum corporis partium per omnes tres ipsius ventres, maximè ventriculi, diaphragmatis & mesenterii, oriundum potissimum ex colluvie humoris viscidî & acido-austeri, in hypochondrio præsertim sinistro collecti, indeq; nervos dictarum partium, in specie verò nervosas ventriculi partes vellicantis.*

CAPUT II.

Subiectum seu partem affectam inquirit.

In definitione omnes tres ventres infestari diximus. Veritas hujus asserti ex diversis infra cap. 7. enumerandis symptomatibus patebit.

Utrum verò lieni, an hepati, an utero, an simul ventriculo diaphragmati ac mesenterio mali hujus origo sit tribuenda, magnam contentionis ferram inter se traxère hætenus Præctici pariter atq; Anatomici & Chemici, aliis hoc, aliis illud viscus in jus vocantibus.

LIENIS si spectamus officium, est sanè nobilissimum, uti copiosissimi nervi, arteriæ & venæ, vasaq; lymphatica ejus parenchyma perreptantia satis superq; docent. Varia nihilominus ejus est fortuna: Laudatur ab his, culpatur ab illis. Quæ de cursoribus liene castratis vulgò circumferuntur, fabulam redolent anilem. In hòc verò affectu malè semper audivit, quàm injustè autem subindè, luculenter demonstrat Magnus Naturæ Consultus & rerum etiam chemicarum scientissimus *Franciscus de le Boe Sylvius*, disp. Med. 5. §. 7. In
cade-

cadaverum, *inquiens*, humanorum ex variis morborum generibus defunctorum examine atq; observatione valdè sumus mirati, nullum viscus, si cor excipias musculosum, minus offendi labefactatum ipso liene; etiam in *affectibus melancholicis* perperam lieni malè habenti adscriptis, &c. De litigiosa aliàs hujus visceris doctrinà, ejusq; *vase brevi* ulterius disquirere supervacaneum duximus, brevitati studentes.

Neq; minus erronea nobis visa est HEPATIS hypochondriacorum accusatio, Anatomia Bartholiniana nos aliud docente: Nam, larvâ Nobilitatis à jam laudato Æsculapio Boreali ipsi detractâ, à magnis criminationibus & contumeliis vindicatum est hoc viscus, aliàs satis nobile. Quotus enim quisq; morborum olim non imputabatur vitiosis humoribus, quos passim Epatis culpâ; sed falsò progenitos criminabatur Medicorum vulgus? ut loquar cum *Th. Cornelio Consentino* in progymnasium.

Nec putamus rem acu tangere illos, qui suffocationem uterinam dictam ex *uteri* fonte dirivant. Motus enim ille in infimo ventre globum ascendentem æmulans, ac diaphragma seu guttur impetuosè comprimens, hinc suffocationem minans, utero non competit, utpote duobus ligamentorum paribus propriæ regioni usq; adeò firmiter annexo, ut loco dimoveri suo neutiquam queat. Et rationes ex muliebris scientiæ thecâ, de ascensu uteri ficto: de ordinariâ uteri loquela cum mammis: item, quasi animal foret, uti narrant cogitasse *Platonem*: de facultate imaginariâ, qua uterus foetidis ac svaveolentibus sedari vel odores percipere creditur, *vid. Helmont. tract. de flatibus* p. m. 345. depromptæ, quas nonnulli contrarium statuentes proferunt, jejunæ sunt & frigidæ, nisi cum ineptulis Viros etiam suffocatione uteri laborare velint fateri. Quod stolidum & ridiculum est.

Misis itaq; his & aliorum placitis, focum hujus mali primarium cum doctissimo *Highboro* p. 73. *Barbett. prax. Med.* p. 140. *Helmont. tract. Jus duumviratus. Sylvio lib. 4. prax. Med. Tr. 7.* aliisq; designamus *Ventriculum*. Quippe idipsum testatur angustia circa præcordia, seu dolor ægrotantium, perceptus in scrobiculo cordis, loco naturali orificii ventriculi, maximè post alimentorum assumptionem. Adeò, ut non ineptè quispiam passionem hypochondriacam vocitaverit epilepsiam ventriculi. Præterea quoq; cum constet, acidum, digestionis

mate-

materiale instrumentum in stomacho, ejusq; glandulosâ tunicâ inter-
nâ hospitans, & ipsi vernaculum ac familiare, in malo hypochondri-
aco variis modis enervatum, commutatum, commixtûm ac particu-
lis heterogeneis infectum esse, Quid mirum, non rectam eduliorum
assumtorum fieri fermentationem, nec justam distributionem, nec
laudabilem nutritionem? portione chyli fluidiore ac spirituosiore de-
bito citius ad intestina elabente, & quàm decebat, in duodeno acidio-
re redditâ, hinc per circulationem sanguinis ad reliqua viscera deri-
vatâ, inqve iis hærendo ab acido suo magis magisque coagulâtâ, tu-
mores varios & infarctus excitante, fibras partium convellente, va-
rios spasmos ac convulsiones, hincqve dolorosa pathemata non rarò
inducente, *Archeum* denique ab hoc peregrino hospite ustum sui ob
displicentiam in morositatem, indignationem, timorem, odium
aut furorem exstimulante; Residuâ verò in ventriculo alimenti parte
crasfiore & terrestriore partim pondere suo, massaqve viscida ac te-
naci hospitium suum aggravante, ægrisqve distentiones, murmura,
flatus, ructusqve acidos superius ventriculi orificium vellicantes,
creante, sputatione molestâ comite; partim diuturniori stagnatione
ac morâ, valdè viscida, acidâ, atqve austerâ factâ obstructions per-
tinacissimas efficiente. Undè morborum Ilias nascitur, innumeraq;
tanquàm ex eqvo Trojano prorepunt symptomata.

Non proindè svavia *Helmontii* somnia sunt, *Ventriculum* ob
multiplices sexti paris insertiones, reticuli cujusdam ad instar per
omnes ejus tunicas à *Willisio* eleganter delineatas, serpentis, *Princi-
pium vitæ*, *Animæ humilioris sedem*, *vitæ fontem*, *præcipuum corporis no-
stri coqvum*, *Alimenti promum ac condum*, *aliorumq; pathematum merè
naturalium officinam* &c. appellantis, eò quoque, quod ab eò solo
totius œconomia sana vel ægra dependeat; Quin imò prima valetu-
dinis semina ac radices in eo conferantur, depangantur, inolescant,
tandemqve maturentur, ceuloqvitur *Thomsonus Philosophiæ Helmonti-
anæ Tutor Vindexq; in Epilogismis Chemicis p. 4.*

Interim haud planè negandum, sæpius intra flexuram intestini
coli sigmoideam hæere æque materiam viscidam & flatuosam, atqve
Scybala nimium indurata, dolores & lancinationes per consensum
excitantia. Hinc conquerruntur ægri de hypochondrii sinistri dolo-

te, (quem nonnulli in Anatomia hospites falso lieni adscribunt Germanicè das Milz-Stecken vocantes) à colo sub ventriculo jacente ac flatuum copiâ expanso, oriundo.

Diximus porrò in definitione diaphragma simul in hoc affectu suos pati manes, uti ex respiratione anxîâ & gravi colligere licet. Simulac enim Ventriculus in dolore hypochondriaco convellitur, in consensum protinus raptum diaphragma, ob vicinitatem & structuram nervorum & membranarum sibi invicem implicatarum quâcumque ventriculi exorbitantiam expiare tenetur. Quippè, docente *Cartesio*, nervi & membranæ in universo corpore sese habent ad instar chordarum tensorum & inter se connexarum: unde unô locô unâ fortius pulsâ per consensum altera quoque movetur, & pars à parte afficitur. Coeterum nervo intercostali etiam diaphragma furculis suis salutante, de facili contingit, ut convulsô diaphragmate in consensum trahantur cæteri respirationi famulantes muscoli; Ex quibus nervorum, & hinc musculorum & membranarum spasmis multijugæ ægrotantium querelæ doloris tensivi, nonnunquàm ad colli vertebrae usque protensi; præsertim dorsalis, nephriticum interdum mentientis dolorem, *vid. Willisii Anatom. & Pathol. Cerebri*. Exindè quoque cuivis facile patet, quâ ratione in hypochondriacis asthma aliquod siccum originem nanciscatur suam; Imò, qui adeò frequenter in prædictorum symptomatum societatem veniat cordis palpitatione, afflictis afflictionem addens.

Ad cüdendum hoc malum & mesenterium suam conferre symbolam quodammodò videtur. Etenim chylus acidior & viscidior per carneam & spongiosam intestinorum crustam veluti per pannum laneum transcolatus motu intestinorum peristaltico, inque venas lacteas transmissus non adeò promptè & celeriter per easdem transfertur & propellitur ad cisternam lumbarem seu commune ductus thoracici receptaculum; sed morâ suâ acrior factus canales proprios vicinasque membranas vellicat ac pungit; demum & vitiosus in sanguinem delatus spissum & fermentationi imparem eundem reddit. Venæ denique meseraicæ hujus inquinamenti gazophylacia dici merentur, quatenus à sanguine acido, crasso & viscido infartæ sanguinis circulationem sufflaminando graviorum malorum existunt mineræ. Ut nihil dicam de
glan-

glandulis in omnes mesenterii partes disseminatis, quæ duritiæ & obstructionibus facile tentantur à lymphâ acidâ, fibras numerosas ac nervos à sexto pari oriundos mordente, quò minùs vitæ spiritus per omnia mesenterii vasa liberè meet, muniaque sua obeat.

CAPUT III.

Causam immediatam & proximam ponderat.

QVoniam benè monente *Sylvio*, nemo ex arte faciet medicinam, qui functionum quarumvis læsarum causas proximas & remotiores non cognoverit. Cognoscet autem eas nemo, qui Anatomes imperitus ac proindè contemtor, ex sui alteriusve quantivis etiam hominis cerebri figmentis corporis humani fabricam molitur. Idcirco cogitationes meas circa veras mali hypochondriaci causas, quas meæ imperfectæ observationes, diligenti scrutatione perquisitæ mihi dictarunt, heic loci in scenam producam.

Philosophus ille Chemicus *Paracelsus* ♀rum quendam acidum primam hîc ducere phalangem existimat. In hypochondriacis autem humorem reperiri acidum & corrosivum, patet ex dentium, ad quos allidit, stupore. Quod ipsum & ego brumâ proximè elapsâ expertus testari possum. Imò ex observatione *Highmori* p. 105. constat: fæminæ hypochondriacæ, de acidi hujus ferocitate diu multumque conquestæ, linguam, fauces, guttur ac labia, hujus per vomitum rejectione solum, excoriata fuisse & exulcerata. Hoc manifestum acidum in dubium vocantes, *Hippocratis* dogmati contradicere videntur, cum juxta eundem *Acidus humor reliquos præcellens maximè incommodus sit*, de Veter. Medicin. t. 42.

Unde scaturiat acidum Ventriculo geniale & inquilinum? Nemo nisi Anatomesignarus ignorat: Quomodo autem hocce acidum peccans atque Archeo inimicum in præsentimalo suam excitet tragœdiam, paucis, Chemiæ, veri Naturæ Analystæ adjutus præsidio inquirere conabor. Non opinor, multum à vero aberrabimus cum laudato *Paracelso* aliisque Artis pyrotechnicæ Magistris dicentes: Malum hypochondriacum natales suos debere acido cuidam viscido, subindè in ni-

niūm fixam naturam degeneranti nunc ¶ aream quandam acidam,
 nunc ¶ licam stypticam æmulanti indolem; (qualem observamus in
 succo inspissato corticum viridium nucis juglandis) quatenus scilicet
 partes quædam ¶ estriores excrementitiæ, intra reliquias alimento-
 rum delitescentes ab acido niūm exaltato solutæ sese intimè misce-
 ant partibus ¶ inis acidis, ex quarum texturâ mutuâ quasi vitriolici aut
 Osi saporis concretum fabricatur. Quippè in hypochondriacis no-
 tare licet partes terrestres, ¶ ium ad instar ob nimiam fermenti acidi-
 tatem solutas, quæ, facto experimento, filtra penetrare subtilissima,
 possunt, nihilominus ab acidi consortio stypticam ¶ licam vel Osam
 naturam exhibentes.

Hoc loco observandum venit, quod *ingeniosus ille per Δnem Philo-*
sophus ac Medicus Joh. Baptista ab Helmont. tr. im. g. ferment. it. calor ef-
ficienter non digerit. It. Sextuplex digestio & alibi passim inculcat: sto-
 machi fermentale acidum in hoc ab aliis acetosis differre, quod, quæ
 penetrat, etiam volatilizet; Omnis autem spiritus acetosus dissolvendo
 coagulatur imò solus nullam fermentandi vim habet, quin potius illam
 sufflaminat, constrictoriâ ac stypticâ suâ facultate motum principio-
 rum activorum intestinum cohibendo. Idcirco fermentum ventri-
 culi, quâ parte fermentum est, vitale adeoque volatile est, quod chy-
 lum volatilem redditum ad suscipiendam sanguinis tincturam dispo-
 nit. Nam acida, quæ pro hujus conservatione ac restauratione assu-
 muntur, ac de acido & volatili simul participant, & quidem vel naturâ
 vel arte talia, v. g. Sp. ex lignis, spiritus ¶ is dulcis, ¶ tri dulcis &c.
 cum quibus aliquo modo humor ventriculi fermentalis comparari va-
 let, non in substantiam ejus mutantur, sed impedimenta solūm dige-
 stionis tollunt, crassitiem & visciditatem alimentorum incidendo, hu-
 morum pituitosorum lentorem attenuando & corrigendo, & bilioso-
 rum ¶ lixivum præcipitando.

Inter alias causas primarias & proximas Modernorum plurimi
 locum quoque tribuunt *Sylvij* triumviri trīgæ, bili, succo pancrea-
 tico acido & pituitæ; Ex quorum, sed malè dispositorum & vitioso-
 rum in duodeno intestino confluxu, atque indè excitato motu altera-
 tivo

tivo five effervescencia, an fores & huic malo aperiantur? limato & polito ingenui lectoris iudicio relinquimus.

CAPUT IV.

Causas mediatas remotiores proponit.

INter NATURALES agmen ducit.

TEMPERAMENTUM Ventriculi, Antiquitati dictum frigidum seu melancholicum; Neotericorum verò dyscrasia acida, uti majori cum applausu in scholis recepta, ita maximè frequens in nostris regionibus borealibus, & conveniens utrique sexui ac omni ætati, tam juvenili quàm senili.

HÆREDITARIAM dispositionem quoque multum contribuere ad hunc affectum producendum, nemo nisi hospes in re Medicâ negabit. vid. *Helmont. juveniosiff. Marc. Marci, & alios.*

Circa SEXUM controversia nascitur, utrum sc. & fæminæ hoc malo laborent? Sanè cuilibet æqua iudicii lance ponderanti omnium utrumque sexum infestantium symptomatum & causarum faciem, luce meridiana clarius patebit, nihil aut parum esse discriminis inter passionem hypochondriacam & hysterica communiter appellatam, nisi quòd fæminæ rarò hypochondriacæ dicantur; sed vel chlorosi affectæ, vel cachecticæ, vel hysterica &c. Quin imò non sine ratione asseritur, fæminas potius quàm viros affectioni hypochondriacæ obnoxias esse, non tam propter uteri vitia, quod supra refutavi, quam ob cerebrum & nervosum genus ipsis longè imbecilliora, injuriis adeoque externis ac animi affectibus tolerandis minus apta. Et cur non ab eadem causâ in utroque sexu idem possit produci effectus?

CAPUT V.

Causas non-naturales in scenam producit.

EX causis non-naturalibus consueto ordine consideratis primo loco sese offert AER, pluviam multâ, nebulis & ventis borealibus ac occidentalibus hisce in oris ferè quotidianis inquinatus & vitiatus, tempore præsertim autumnali & Verno scatens acido, vel Oribus

acribus muriaticis in ejus poros elevatis, & à copîâ ∇ osorum effluvi-
rum dilutis.

Porro Autore *Hippocrate* S. II. *aph.* 3. ἵπν, ἀγρυπνίη, ἀμφο-
τερά τῶ μετρίῳ μᾶλλον γινόμενα, καίων: Somnus atque vigilia,
utrumque modum excedens, malum. Hoc effatum de quocunque
somni & vigiliarum excessu aut defectu dici posse in confesso est.
Constat enim cuivis, somnum immoderatum atque nimium magis no-
cere quàm recreare, corpori ac menti stuporem inducere, multas su-
perfluitates & noxias in corpore accumulare, ad tardiores humorum
circulationem ansam præbere, inprimis qui statim post cænam capi-
tur, nisi patientis consuetudo aliud nos doceat, juxta *aphorif.* 50. S. II.
Vigiliæ contra nimix spiritus ac calorem dissipantes, diaphoresin ac
fermentationes impediunt, musculis diurnâ agitatione defatigatis
noxam inferunt, tardioresque humorum motum, cruditatibus multis
comitibus, pariunt.

MOTUS plurima corpori humano confert commoda, si mode-
ratus est & tempestivus; QUIES contrà & vita sedentaria, ex studio
præprimis immodico ac intempestivo, neglecto quovis corporis exer-
cizio, victus insuper ratione susque deque habitâ, comprimit abdomen
ac diaphragmatis motum, uti supra dictum, inhibet. Jam verò suffla-
minato hujus motu, & compressis abdominis musculis, alimenta justo
diutius ventriculi cavo immorantur. Quibus ibidem nimis fermentatis,
non possunt non partes eorû ∇ estres cum Θ inis dissolvi. Hoc in passu
hepar quoq; continuò compressum, bilis, vitæ balsami inhibet exitum,
undè ex succo amariori degenerat in nimium lixivum & alcalicum.
Hinc succi facti nimis fixi in intestinis excitant largum flatuum acrium
perventum. Quapropter sæpè malum hypochondriacum comita-
tur species quædam colicæ, quandoque etiam *scorbutus* indè oriundus,
hisce regionibus adeò familiaris, ut nullus ferè reperiatur morbus, cui
non aliquid scorbutici sublit, adeoque sub uno titulo tractatur ab Ex-
perientissimo Dn. Doctore *Paulo Barbetto*.

In hoc malo gignendo fovendoq;ve utramque paginam faciunt
etiam ALIMENTA dyspepta & mali succi, cibi crudi, pisces & carnes
fumo induratae, Θ e conditæ, fructus horarii, panes non ritè fermen-
tati, pulresque compositæ ex ∇ â & farina non fermentatæ, utiliores
biblio-

bibliopegis pro glutinandis chartis, quàm hominibus præsertim æ-
grotis pro nutritione. Talia enim pulmenta glutinosa & viscida in
ventriculo abeunt in crudum, tenacem & viscosum mucum potius
quàm chylum, mille malorum fœcundum parentem. Compertum
namque est, sponte sua & faciliè quamlibet farinam liquore sufficiente
subactam, & in loco tepido asservatam, acescere insigniter, & hinc
fermentare & spumose turgescere, etiam citra fermenti additionem:
Id quod si fiat in stomacho non robusto nec spirituosiori & acriori
fermento instructo, ex p. n. & stomacho peregrino pultis acore cor-
rumpuntur superingesti cibi, adeoque tota digestio prima exinde de-
pravatur insigniter, difficulter corrigibilis in secundâ. Panis verò
ex quâcunque farinâ confectus, non ritè fermentatus, ac ita pro di-
gestionem stomachi facilius suspiciendâ, & in aliis unâ assumptis
promptius adjuvandâ ineptus, ex defectu acidi spirituosi volatilis,
crudam farinæ mucilaginem solventis & volatilifantis, quantum
noceat sanitati, & quàm fœcundus sit Genitor morborum chroni-
corum, præter quotidianam experientiam vel muliebris loquitur se-
xus, ex ejusmodi panis usu menstruorum patiens defectus & cachexi-
as, uti prolixius videri potest apud *Kergerum de ferment. f. 3. c. 2. &*
Schookium de ferment. c. 2. & 3. Panis è contrario ritè fermentatus,
adeoque faciliè resolubilis, promptiusque in stomacho digestibilis; in
specie fecalinus continet in se  tum intensè acidum, volatilem ta-
men adeoque saluberrimum, nonnullis dictum analepticum, duriora
etiam corpora, v. g. corallia,  trum  ii, aliique roden-
tem, ut frustra hinc neget *Helmontius* panem reliquorum ciborum
esse fundamentum.

Nec Porus hoc loco est prætereundus: sufficienti enim lupuli
pingvis aromaticâ conditurâ imbutus, difficiliùs acescit, corpus be-
nè humectat, angustos ipsius meatus permeat, ciborum meliori fer-
mentationi ac digestionem inservit. Crudus verò, minus spirituosus
& nonnihil acidus, nec debitâ fermentatione à fecibus depuratus,
aliâve qualitate vitiosâ imprægnatus, mille malis quasi fenestram
aperit, Cinas fermenti ventriculi particulas diluit, destruit ac obtun-
dit, vasa corporis angustiora obstruit, sanguinis effervescentiam na-
turalem infringit & flatibus ac borborygmis corpus excruciat, quæ
omnia

omnia, quantum malo hypochondriaco fovendo faveant, facile patet
iis, quibus vel leviter ejus indoles est perspecta.

Porro ex rebus non-naturalibus multum conferunt huc excre-
tiones suppressæ: Hinc Virginibus & mulieribus ob suppressionem
mensium sæpè accidit hæc passio. Suppressis enim excretionibus, vasa
nimium replentur, hinc oritur tardior humorum circuitus & conse-
quenter incrassatio eorum. Similiter, *uti eleganter notavit Sylvius lib.*
1. praxeos Medicæ, & in sanis & in ægris quandoque aliquid à testiculis
aliisve seminis generationi ministrantibus partibus ac præsertim vege-
tis, multumque seminis potentis producentibus transire ac meare in u-
niversum corpus, quod valdè valideque ipsum afficiat. Cui dicto fi-
dem faciunt non tantum castrati effæminati; sed tùm mares, tùm fæ-
minæ ad ♀ rem alacriores, atque inexplicabili naturalis libidinis œstro
nonnunquàm perciti, & imprimis ad objecti sensus potenter moven-
tis, animamque mirè commoventis occursum: Undè quoties votis
suis potiri non licet, aut non decet, quot malis subindè urgeantur id-
circo, premanturque miseri, docent ac evincunt infinitæ à Medicis
notatæ historiæ commiserationis plenæ. Hæc omnia verò à sperma-
tico halitu per universi corporis partes tam continentes quàm conten-
tas disperso diduci, pluribus evincere non est hujus loci.

Pergo ad insensibilis TRANSPARATIONIS morbosam in hy-
pochondriacis occlusionem, cujus quanta in omni vitæ genere ac sta-
tu sit necessitas, eleganter docuit *Sanctorius in Medicina Statica*, adeò,
ut corpus nostrum in continuo fluxu constitutum, atmosphæram cer-
tam ubique circumfundat. Hæc verò legitimè procedens, quantum
commodi adferat hypochondriacis, ipsimet ægri quotidie experiun-
tur: In lecto probè tecti satis benè valere sibi videntur, spiraculis sci-
licet corporis tunc apertis, & multum excrementitii humoris trans-
mittentibus; relictis postea plumis, constrictis aëre ambiente poris,
iisdem, quibus antea solebant, incommodis macerantur ac infestan-
tur.

Transpirationis hujus materia communiter vapor seu fuligo sal-
tem aliqua censetur, cujus etiam pars in vestimentis cutem immédia-
tè tangentibus coagulata sordium appellatione venit, imò ipsa hæc e-
vacuatio insensibilis censetur. Quibus tamen ex probabilioribus do-
gmatis

gmatis physicis constat, exhalationes seu vapores non substantialiter à mafsâ, ex quâ exhalant, differre; Verùm hujus saltem particulas minutissimas, iisdem cum toto potentiis præditas esse; ita ut non coloris & odoris tantum ratione (vid. *Tachen. Hipp. Chym. C. 12.*) cum ea convenient; sed figuram hujus quoque æmulentur, uti præter quotidianam circa operationes chemicas experientiam Boyle, quem ob profundam in Arte Spagyrica scientiam omnis veneratur orbis, de determinata effluviis natura curiosè demonstrat: Nullum vel levissimum saltem ratione materiæ inter transpirationem vulgò insensibilem appellatam & sudoris emanationem discrimen necessariò profitebuntur.

Organa seu glandulas, in quibus hic vapor seu transpirationis materia secernitur, & quarum pauca in monumentis prisce illius ævi reperiuntur vestigia, hic describere, prolixum nimis foret.

Ab AFFECTIBUS denique, & à principio activo seu Archeo nervos dirigente p. n. irritato, hoc mali dependere nemo ibit inficias. Solam sæpè iracundiam huic malo fenestram apperuisse, testatur experientia. Inter omnes autem primas tenet *mæstitia*, acidum, actionum plerarumque ritè obeundarum inimicum insensissimum pariens, redundante præprimis in corpore pituita paulò viscidior, sanguinem glutinosiorem, adeoque ad rarescendum ineptiorem red-dente, unde animi deliquia, aliaque hujus affectus phænomena plura derivari solent.

CAPUT VI.

Differentias exhibet.

PRælibatis pro instituti ratione affectûs, quem delineandum suscepimus, causis, restat, ut paucissimis methodi ergò considerare-mus differentias.

Est itaque *Malum hypochondriacum* vel *connatum & hereditarium*, vel *recens*, vel *inveteratum*.

Connatum & hereditarium totas aliquando familias invadens difficillimè admittit plenam curationem.

Recens verò omnia fermè symptomata habet leviora & tolera-biliora,

biliora, cum gravativo & constrictorio, non unâ vice diu, nec quovis die æqualiter ægrum affligente dolore, in abdomine ut plurimum sese prodente, & simili ei, qui à pondere aliquo premente oriri asolet, uti patientium querelæ satis indicant. In quo dolore simul partes nervosæ vicinæ originem nervorum suorum eandem obtinentes cum nervis in sinistram ventriculi orificium insertis, versus hunc sese contrahunt, ipsis ventriculi fibris simili spasmō unâ affectis.

Inveteratum, quia altiores jam egit radices, gravia symptomata habet omnia, deque ingrata sui præsentia ægros ferè nunquam non admonet.

Subjecti respectu nonnunquam plures, interdum pauciores corporis partes infestat. Ventriculus in aliquibus, imò pluribus benè appetit; in quibusdam tamen ab assumtis faciliè læditur. In diaphragmate quoque tensio major minorve deprehenditur.

Causarum ratione tot ejus constitui possunt differentiæ, quot ejusdem jam ante assignavimus causas.

CAPUT VII.

Signa Diagnostica colligit.

Medico inprimis Juniori, ut in morborum diagnosin perveniat, incumbit, ut signorum vel symptomatum accuratam & diligentem instituat inquisitionem: Nulli autem paradoxon videatur, ex symptomatis constituere signa, & ex signis vicissim symptomata morborum.

Signa E. diagnostica & symptomata, quibus catervatim comitatum sese manifestare solet *Malum hypochondriacum*, occurrunt benè multa, eaque molestissima. Et quidem *Summo Ventri* sacrae *Palladis* arcis, domicilio mentis ejusque functionibus non parcat hic affectus, quin potiùs præter apprehensionis simplicis confusionem, operationis ingenii perturbationem, memoriæ hebetudinem, 1. Animum quandoque ad tristitiam & melancholiam disponit, cum leviori aut graviori melancholiâ dictâ hypochondriacâ. 2. Multis vigilias creat molestas, aliis insomnia; quosdam mox ab assumpto alimento satis placidè dormientes aliquot post horas excitat, ubi sci-

scilicet absoluta est qualis qualis alimentorum in ventriculo alteratio. 3. Gravissimis nonnunquam affectibus, utpote epilepsiæ, convulsioni, apoplexiæ, paralyti aniam præbet. 4. Aurium tinnitu molestiam parit. 5. Vitio hujus morbi oculi caliginosi fiunt, & quandoque vertigine corripitur æger. Simul 6. faciei rubor & calor observatur, pallore & frigore præviis. In plerisque ægris 7. saliva multa observatur & imprimis aucta, quando gravius affligit malum. Nonnullis 8. sitis augetur in paroxysmo. Ac ne malorum quid desit, caput quoque 9. gravitatis sensu & ad somnum propensione afficitur, & non raro 10. Cephalalgia & dolor lancinans ipsum occupat.

Medio in Ventre observabilia signa sequentia sunt præcipua: Angustia præcordiorum, phlogoses ac respirandi difficultas post alimentorum assumptionem, in aliis quidem citius, in aliis tardius; rursus in aliis gravius, in aliis levius affligentes, tam ratione individuorum diversorum, quam alimentorum variorum. Nam in quibusdam passio uterinæ suffocationi similis producit, adeo ut fauces sibi occludi, seque strangulari putent ægri. Interim pulsus primum compressus, quandoque nullus sentitur, alias in paroxysmo omni ferè momento mutabilis; sed paulò post frequentior ac quasi febrilis redditur, concurrente plerumque cordis palpitatione, animique nonnunquam deliquio.

In infimo Ventre scenam ludunt suam dolores gravativi & tensivi in regione lumbari incipientes, & gravissimo contorsionis sensu hinc inde in abdomine oberrantes, nephriticum interdum dolorem mentientes. Hosce dolores comitantur ut plurimum ructus vel acidi vel nidorosi. Sed præterea frequenter urget nausea & vomendi conatus, jejuno præprimis stomacho cum insequente interdum vomitu. Quodque hic notabile est, vix cessant aut minuuntur prædicta & mox dicenda mala, nisi vomitu ejiciatur pituita varia, nunc ∇ ea, crebrius crassa & viscida; nunc insipida, sæpè acida, acerba, pontica, & nonnunquam simul amarescens; (quam amarem, viridem, porraceam & corruptam pituitæ, aliorumque in ventriculo corruptorum humorum copiam haudquaquam à bile æruginosâ & vitellinâ derivandam mordicus defendit contra biliosas quorundam opiniones Hel-

mentius in Scholarum humoristarum passivâ deceptione & ignorantia) quibus verò excretis liberantur brevi, aliàs per plures horas protrahitur, malum & angustia. Interim effervescencia aliqua notabilis sentitur in ventre atque ebullitio quasi, undè & sursum halitus, vapores, ructus observantur elevari, & per intestina flatus devolvi cum rugitibus, quibus per crepitum emissis levamen accipit æger, iisdem autem retentis angustias majores aut tormina etiam patitur. Undè hypochondriorum, sinistri præsertim flatulenta intumescencia ægrosurger, adeò, ut aliquando tympani ad instar distentum sit abdomen. Sed & plerumque contumacissima alvi obstructio angustat eosdem, quia cibus in humorem pituitosum & viscidum mutatus ab intestinis non promovetur pertinacius iisdem adhærens. Ubi effervescencia prædicta excitatur, frigus circa regionem lumbarem, atque inter scapulas dispersum molestum est, febremque intermittentem mentitur, atque ephemeram nonnunquam progignit. Quin hoc frigus excipit aut sine frigore exoritur æstus in hypochondriis valdè molestus; moxque per omne corpus dispersum varia parit symptomata. In mediis hisce angustiiis non rarò sudor erumpit frigidus, qui decrecente malo mutatur in calidum. Quia interim observatur planè varia; nunc pauca; nunc multa; nunc tenuis; nunc rubicunda; nunc albicans vel ea. Recenter autem mixta ut plurimum est citrina & aliquantulum crassa, utut pellucida. Interdum turbida & pallida cum ium copia. Quæ aliquandiu quiescens præcipitatur in materiam viscidam copiosissimam, in arenulas rubicundiores & farinam nunc in fundo, nunc in parietibus subsidentem. Unde & Medicinæ imperiti ut plurimum accusant renum calculum ob dolorem in lumbis perceptum, quod fabulum tamen, in Quâ tale non existit. videatur *Helmontii* rus *insons*. Denique non solum dictos ventres inquietat hæc malorum Ilias; sed & latius evagatur, & partes extremas seu artus formicationis sensu ac stupore occupat, imò universum corpus tanquam domesticus tortor lassitudine spontaneâ ita debilitat, ac si defatigatum esset, multoque labore ac fustibus exceptum.

Hæc varia innumeraque alia symptomata & mala largo imbre in universum corpus sese diffundentia æque cognitu necessaria atque curatu

curatu ardua, quamvis accuratè atque ordine examinare, & quâ facie suam ordiantur protasin, continuent epitasin, finiant catastrophem, adumbrare mihi animus initiò fuerat, deterruit me tamen moles, ne disputationis limites transgressus, omnibus hisce recensendis immorando Lectori tedium crearem. Interim ut ex multis multorum symptomatum causis pauca in medium proferam, è re futurum spero, si flatuum causas & effectus paulo attentius explorem. Quæ quidem doctrina, quamvis videri possit sordida, nihilominus quia flatuum plerumque morborum internorum causæ sunt, Medico expendenda. In generationis flatuum reddenda ratione venit explicanda eorum materia & efficiens. Materiam suppeditare communiter dicuntur humores viscosi & pituitosi, undè in ventriculo & intestinis propter notabilem adhuc humorum cruditatem & crassitiem, flatuum collectio est frequentissima. Verùm non minus materiam tenuissimam in flatum seu blas quoddam impetuosum redigi posse, quod viscerum fibras distendendo plurimis malis ansam præbeat, præter Æolipilam & biliosorum destillationes testantur, quorum commoti vapores tantam vim habent, ut vasa intimè juncta aut arctius conclusa diffringant. Uti non ita pridem mihi contigit, & volatile spiritum sylvestris in Martro hermeticè clauso, in arena opinione calidiore reponenti. Cujus vitrum magno cum strepitu disruptum adstanti mihi nares & faciam acuminatis suis frustulis fricabat. Negandum interim haud est, illius generis flatus, qui in materia viscidiori & tenaciori generantur, pertinaciores atque durabiliores existere iis quos ex tenuiore materia generari diximus, utpote qui, nisi copiosiore materia perpetuantur, facile discutuntur. Efficientis autem munus hoc in casu bili vulgò tribuitur, vel humoribus tenuiorum partium: qui in viscidiorum materiam agentes, eamque attenuare sat agentes in flatum eandem resolvunt; undè carminativa dicta medicamenta, utpote volatilia & attenuantia in principio flatuosos affectus augere potius, quàm tollere videntur. Verùm concipi vix potest, quomodo hæc volatilium aut biliosorum actio crassiores & pituitosos in flatum resolvere potis sit, nisi quâdam accedente effervescencia seu fermentatine, cum, quæ sine hac in mechanicis contingunt corporum solutiones, substantiæ etiam viscidioris,

ris, ne flatuum quidem vestigium exhibeant. Potius E. concludendum, tria esse, flatus producentia, *calorem, fermentationem p. n. & spasmos viscerum.* vid. Willis. Pharm. rat. *Calorem* hoc præstare, ventorum non tantum illa artificiosa docet excitatio, quam per *Æolipilas* ∇ à plenas & carbonibus impositas, conficimus; sed svadent etiam hoc viscerum interiorum v. g. coli inflammationes, quas flatus, intestinum hoc & vicina valdè distendentes comitari solent. *Effervescentias* flatus producere omnium corporum solutiones, intervenientibus his, contingentes, item fermentationes vegetabilium, vasa nonnunquam diffringentes, docent, vel exindè colligitur, quod circa ventriculum & intestina, ubi fermentationes conspectiores fiunt, flatuum etiam proventus sensibilis magis sit; quibus accedit, quod ab ipso sanguine p. n. ebulliente halitus copiosiores discedentes per arterias ad ventriculi & intestinorum cavitates deponantur, lateraque eorum distendendo, anxietates pariant maximas. De *Compressione* verò res paradoxa magis videtur: probabilior tamen fit, ponderatis illis, quæ ventorum in macrocosmo productioni ministrant. Quemadmodum enim aer naturâ suâ vim quandam elasticam seu expansivam possidet, ratione cujus, si comprimatur, instar lanæ aut plumarum mollissimarum in Daniâ nostrâ usitatarum *Eiderdunen* ab avibus Islandicis *Eider* dictarum, quarum tres libræ in palmarem globum cogi possunt, quæ suæ expansioni relictæ culcitram vel stragulam quinque pedes longam & latam explent, sese iterum explicare, aut ad latera exserere cum impetu conatur, hincque vapores aliave corpora sibi contigua simul propellit & ventum excitat: Ita vapores intra microcosmi cavitates quasdam undulantes, si harum angustatione comprimantur, aut à naturâ suâ expansivâ, aut à calore viscerum magis magisque explicati, vel novorum accessu coâcervati, angustius hoc spatium evitantes, unusque eorum alterum agitans, ventum microcosmi seu flatum producit. In atmosphæra majore hoc ita fieri, præter follium compressionem, hincque aeris cum impetu expressionem nubes probant: quæ sæpius præterquàm quod ventis materiam suppeditent, efficiens quoque eorum existunt, quatenus hæ, ut corpora graviora & compactiora aërem subjacentem premunt, & ad atmosphære partem tenuiorem fluere cogunt. Quod autem in macrocosmo folles, nubes

nubes, &c. præstant; hoc in corpore animali à parietibus viscerum constrictis magis expectandum: id quod exinde evidens fit, quod circa illam intestini coli curvaturam sigmoideam arctissimam, in quam idem aliàs amplissimum in hypochondrio sinistro abit, flatuum copia & impetus major observetur, atmosphæra scilicet illa intestinali magis compressâ. Quibus suppositis, haud difficulter intelligitur, *Willisi* illam de flatuum in intestinis generatione *Pharm. Rat. Sect. III, c. 1.* hypothesein, non adeò firmam esse, quasi scilicet parietum horum extensiones & intumescentiæ convulsivæ cavitates subjacentes ampliarent, ut humores in his conclusi pro vacuo avertendo in vapores rarefierent, & flatus constituerent. Siquidem meritò dubitatur, an in convulsionibus viscerum, uti eorum fibræ intumescunt, ita pariter his subjacentes cavitates amplientur, contrario credibiliore, aliaque occasione demonstrando: Undè etiam ampliationem dictorum spatorum pro vacuo adimplendo humorum rarefactionem sequi aut comitari, id est, intestina impleri, quia dilatantur, concipere haud possumus. Et hæc de flatibus!

CAPUT VIII.

Περίπτωση delineat.

DEfectis ita causarum morbificarum fontibus, cæterisque circumstantiis ritè consideratis, haud arduum erit *περίπτωση* seu eventus prædictionem determinare. Ea tamen minime præcipitanda; sed conditione quâdam semper munienda, ne fama ac eruditio Medicinæ in dubium veniat, uti contigit *Eunomo* illi apud *Ausonium* in sequenti epigrammate:

Languentem Cajum meritatum dixerat olim

Eunomus &c.

Eventum autem hujus mali nemo promittere potest subito, quin imò de plenâ ejus eradicatione & exstirpatione certi quid spondere, sapè temerarium est. Postquàm enim adolevit, omnem industriam, omnes conatus Medici frustratur & eludit, utur in incubulis benè queat exstingui.

Cepha-

Cephalalgis contumacibus, appetitu prostrato, flatuumque proventu haud magnoperè urgentibus præsentibusve, spes salutis in vado est. Si altas egerit radices, progignit haud degenerem sobolem *Scorbutum*. vide *Praxin Barbettianam*. *Scorbutum* autem qui dixerit, lernam malorum dicet. Hinc frequentes cordis palpitationes, melancholia, agrypnia, ephialtes, nonnunquàm etiam Epilepsia, & quidem talis, ut à Dæmone provenire crederes, imprimis mulieribus supervenire solet. Malo hoc non curato ac vomitu nigro accedente, funestum esse signum & mortem plerumque pressio sequi pede, nonnullorum observatio est. Si à scybalis diu retentis contumacissima alvi obstrictio adsit, periculum est, ne in *χορδαψόν* seu volvulum aut inflammationem, denique sphacelum comitem abeat.

Uteri Hæmorrhoidibus, uti aliqui loquuntur, sive mensibus copiosius prodeuntibus, à passione hypochondriacâ multæ liberari dicuntur, nec sine ratione: numerosa enim vasa *hypogastrica* in vaginam maximè uteri terminata, exonerando sese uberius, maximam materiæ morbificæ portionem auferre, sicque massam sanguineam multò defecatiorem reddere omninò possunt.

CAPUT IX.

Curationem producit.

PRæmissis itaque iis, quæ pro instituti ratione ad mali hujus cognitionem videbantur: ordo jam postulat inquirere ea remedia, quibus maleficus hic tyrannus oppugnari, ejusque spicula ac tela infensissima retundi queant. Nihil enim juvat nosse morborum causas, nî simul ipsos ritè curandi artem noscamus.

Licet autem malum hoc non minus Medicorum ingenia, quàm laborantium corpora diutissimè crucians altissimis defixum radicibus ægrè radicitus extirpetur, attamen haud desistendum à curatione, quò gravissima, quibus ægri macerantur symptomata minuantur, sensimque à desperatione ad spem à metu ad fiduciam Medicinæ beneficio revocentur.

Respicendum hîc ante omnia ad curandi methodum, *ἐν ἀφαιρέσει καὶ προσθήσει*, ablatione & additione consistentem.

Abla-

Ablationem, ut cum Neotericis loquar, indicant *res duæ præternaturales*: *Causa morbifica*, & *productum cause morbificæ*.

Additionem res secundum naturam, nimirum paucillum illud, quod superest sanitatis, seu constitutio naturalis, causa constitutionis hujus, & accidentia seu operationes ejusdem.

Remediorum materia ex usitatis fontibus, *Chirurgico*, *Pharmaceutico* & *Dietetico* depromenda.

CAPUT X.

Fontem Chirurgicum aperit.

Multis placet evacuationem unicum esse remedium humorum peccantium: sed evacuatio ipsorum nimiam duntaxat copiam minuit, non item variam ipsorum intemperiem corrigit, unde dubitari poterat de Venæsectione. Et sanè Anima (quam in sanguine hospitari inquit Moses in *Levitico cap. 17. v. 14.*) sæpenumerò cum sanguine emittenda esset, si omnis sanguis corruptus beneficio, propè dixerim, maleficio Venæsectionis evacuandus esset, uti anilis quorundam Chirurgorum imaginatio est, rudi plebeculæ, de quocunque corporis dolore aut imbecillitate conqverenti protinùs Venæsectionem svadentium & sanguinem copiosè detrahentium; quasi verò massa sanguinea intellectu peculiari ac prudentia instructa impuras tantum sui particulas amandet foras, aut vasa peculiari in sanguinem corruptum aversione teneantur, & proindè illum tantummodò expellant.

Alium E. Venæsectionis usum ac finem dicimus, sanguinis videlicet imminutionem & per consequens ventilationem, ut videlicet vasis aliquantulum depletis, sanguis convulsione partium nervosarum forsan stagnans in citiorem cursum suscitari, atque medicamentis idoneis, gratis atque Archeum illuminantibus facilius purgari atque emendari possit. Hunc in finem pro subjecti aliarumque circumstantiarum ratione jure celebrari potest in *hypochondriacis* quoque, eamque felici successu non carere observationes quotidiana loquuntur.

Missis quoque *Arabum* figmentis, cum Anglorum Heterophilo *Harveo* statuimus, nullam adeo esse venarum sibi invicem proximè ad-
sitaram delectum habendum, cum promiscuè hauriant liquorem ex
communi arteria; Ast nota: quò affectæ parti propiorem commo-
dè invenire venam potes: eò minus in secando operam ludes.
Cæterum an *Salvatella* cum liene secretiore quodam consensu
conspiret, ejusque sectio in lienis morbis miraculo vicinos producat
effectus? uti Clarissimi Nominis *Dn. de la Chambre* variis argumentis
ostendere parat, dubium est, de quo alii videantur.

Nonnulli quoque familiare admodum est, in hoc aliisque affe-
ctibus excitare fonticulum, ad feri aliorumque humorum pravorum
in corpore natorum oberrantiumque copiam expurgandam imminu-
endamque. *Helmontium* quidem huic remedio vix adstipulantem,
sed convitiis potius & sarcasmis in communem praxin debacchantem
reperies, quasi præter illud, quod in parte cauterio proximâ corrum-
pitur nutrimentum, nihil per fonticulum materiæ morbificæ vel ex
toto, vel aliqua parte efflueret, uti ex ejusd. tractat. *Catarrh. deliram.*
Asthm. & Tuss. Scab. & ulcer. Scholar. it. de cauter. legere licet. Ast
innumerâ ferè Medicorum experientiâ aliud probante, ipsâque insu-
per morborum mediatrice Naturâ, per ulcuscula spontè facta mor-
bos sæpius curante; propria verba *Helmontio* regeri possunt, in cit.
tr. de cauter. aph. 11. & 29. cauterii usum in cruoris abundantia seu
plethoricâ constitutione admittenti, ut per partem illam exulceratam
sanguinis quantitas imminuatur. Quo stante, concludo, etiam lym-
phæ acidæ copiam cum sanguine putrescente, hinc mali hypochon-
driaci materiam ex hac scaturigine ulcerosâ exsudare posse. Quod
si verò quis ejusmodi ulcus arte factum desiderat, vel in brachio intra
musculorum *Δtoidis* & *bicipitis* interstitium: vel in femore intra
musculum vastum & gracilem: vel in tibiâ intra gastrocnemium &
soleum, non celerius certiusve perficitur, quàm si cutis utrinque ele-
vata per lanceolam dividatur, statimque pisum interstitio imponatur;
quod ab humiditate affluente intumescens locum perpetuò servat a-
pertum. Totum hocce artificium qui legere amat, consulat nervo-
sissimum illud aureumque opusculum Chirurgicum *Job. van Horne* p.
m. 108.

Neque:

Neque hic sicco prætereundum est calamo, in sanguine hypochondriacorum post celebratam Venæ sectionem colorem nigricantem plerumque conspici, ab atrâ bile à quibusdam derivari solitum. Id quod frigidum sanè ratiocinium est, & petit principium: hoc nigrum est, E. ab atra bile vel melancholia, & idem ac si argumentarer: Cassia fistularis est nigra, E. est melanogogum, cum tamen sit cholagogum. Quare *Fracassatus tract. de Cerebro & Lingvâ* p. 378. colorem istum nigricantem, exindè, quod sanguis, qui est in fundo patinæ, aëri non sit expositus; non verò ex ulla Melancholiæ seu Non-Entis mixturâ esse contendit: quod ut confirmet, mutari ipsum colorem dicit, fierique rubrum, si aëri vicissim exponatur; quod & ipsum tamen vix per omnia experimentis consentit. Plus lucis circa varios à variorum Oium operationibus dependentes sanguinis colores desiderantem ablegatum volumus ad sacra Chemiæ, item ad *Willisium in Pharm. rat. Swalwe de acido & alcali: Tachenium in Hippocrate Chemico. Sylvium in praxi, alios.*

CAPUT XI.

Fontem Pharmaceuticum recludit.

PRimis viis hypochondriacorum ut plurimum maximâ lenti, viscerum ac ponderosi phlegmatis, stomachi plicis coalescentis copia scatentibus, nihil magis conducit, si patientis constitutio corporisque habitus permittit, quàm Archeo amicum & arridentem emeticum, humorum corruptorum saburram, quæ veluti *Augiæ* stabulum scatet ventriculus, ut ita dicam scopis everrens. Quippè sine vomitoriis adhibitis fermenta exotica in corpore genita, atque altiora morborum seminia, quæ chatartica haud attingunt, rarò extirpantur.

In omnibus verò vomitoriis ventriculum aliquantulum repleti conducere arbitror, quò viscidæ peccantes particulæ facilius eruantur, sequente aliàs irritò plerumque vomendi conatu.

Pro vomitu autem excitando præ cæteris remedia metallica, sine quibus, ceu loquitur *Matthiolus*, morbi chronici frustra tentantur, maximam promittunt opem. Et quidam Gialia medica-

menta cæteris præfero: quippè non minus corporis humani, quàm
○ purificationi servit. *Æ*ium ritè tam præparatum, quàm administra-
tum, videatur *Petræ* in Nosolog. Harmonic. p. 86. quin & asaro
tutius est *Æ*ium, si *Zwelfero* fides habenda.

Propinentur *Æ*ialia præcipuè in infuso v. g.

R. *Croc. metallor. gr. vj. ad viij. Infund. in Vin. Rhen. ℥ij*,
stet in leni calore per noctem. Manè filtretur & add.
Syrup. de canell. ℥ss. M. f. Haustus manè & unâ vi-
ce sumendus.

Notandum: 1. Si in Vino malvatico infundatur juxta nonnul-
lorum præscriptiones, rarò purgare per superiora; sed solùm per in-
feriora. Melius igitur recipitur Vinum Rhenanum, quod ratione
acidi sui plus extrahit. Notum siquidem est, nisi extrahendis addatur
acidum, parùm nihilve extrahi.

N. 2. Quantitatem vini esse determinandam: nullum quippe
recipiens recipit per modum imprimentis; sed per modum recepti-
vitatis suæ. Ubi itaque *gr. viij. Croci metallor.* recipiuntur, ibi &
vin. ℥i ij. recipiendæ veniunt.

N. 3. Infusiones ex metallicis, præsertim ubi *Æ*ium ingreditur,
accuratè per chartam emporeticam filtrandas esse: alias, si quid de
substantia infusi pertranseat, haustumque plicis ventriculi & intestino-
rum sese insinuet, tormina, diarrhæas ac hypercatharses excitari.

Huc spectat *Sapa Vomitoria Sylvij. Oxyssaccharum Vomitorium*,
Plum album & Oli. ▽a benedict. Ruland. Syrupus emeticus Angeli
Sala ad ℥ss. in vehiculo convenienti exhiberi solitus.

Si forma liquida aut portionis ægro non arridet, pilulæ poterunt
porrigi, liquoris defectum juscule superhausto compensando:

R. *Extract. specif. emet. Mynsicht. ℥j. ad ℥ss. F. l. a. Pil. No.*
xvj. vel in formâ pulveris:

R. *Triemet. Myns. gr. iv - vj.*
Eleosach. macis. gr. iij. M. F. Pulvis.

Peracto aut sedato vomitu, si redundare videantur prædicti hu-
mores, post sufficientem eorum temperationem evacuari ac minui po-
terunt per alvum exhibitis per epicrasin purgantibus, sed lenibus: for-
tiora

tiora enim pessima inferunt symptomata, ægrosque disponunt ad dysenterias, tormina & diarrhæas. Non admodum facio cum iis, qui electivè purgantia dari existimant; nam revera vix dantur. Rationes pro negativa sunt sequentes: quia (1) non dantur isti quatuor humores, in quibus hæc electivè purgantia fundantur. (2) Catholica, Panchymagoga destruunt electivè purgantia, & quodlibet purgans purgat absque præresi quemvis humorem obvium peccantem & naturæ molestum, præsumendo, an sit atra vel flava bilis, quod ipse fatetur Sannertus Epit. instit. p. 605. scribens: Rhabarbarum primariò quidem bilem, secundariò autem pituitam educere. (3) Nec color excrementorum vel probile aut melancholia evacuata aliquid concludit: Uti Testem insuper habeo ingeniosum Willisium Pharm. rat. 72. & 73. It. Swalwe disq. therapeut.

Profunt itaque pilulæ ex gumm. *℞io Quercetan.* præviis prius digestivis sequentibus, acrimoniam in specie acidam temperantibus & viscidatam incidentibus, ut ita facilius & minus molesta fiat purgatio.

R. Liqueor. Terra sol *℞ri.*

℞a *℞ri* ana. *℞l. M.*

vel in forma pulveris:

R. Arcan. duplicat. Myns.

Ocul. *℞.* preparat. ana gr. xij.

℞at. foenic. gtt. ij. M. F. Pulvis, duabus saltem, tribusve post cœnam assumptam horis ex cerevisiæ vinive potentioris cochleari sumendus.

Sequuntur jam pilulæ: R. MP. *℞ear.* Quercet.

de *℞iaco* ejusd. ana *℞l.*

Resin. Jalap gr. iv.

Ois succin. volat. gr. ij. *℞cortic.* aurant.

gt. ij. F. c. Elix. Propriet. Pil. No. XX.

glycyrrh. cinanomive pulvere conspergenda.

D. S. Eröffende und laxierende Pillen auff einmahl.

Inter purgantia medicamenta *℞ri* alia ritè præparata & methodicè exhibita non vulgarem usum præstant, in primis *℞rius* dulcis, qui

ſæpius ætus revera fit diaphoreticus, multisque ex regno minerali pal-
mam præripit, v. g. R. MP. de ſaccin. Craton. ℥i. Resin. ſcammon. gr.
iiij. Qrij æti dulc. ritè præparat. gr. viij. F. cum eſſent. anthos pilul. No.
XX. S. ut ſuprà. Vel. R. MP. de Alöeroſat. ℥j. Resin. Gialap. gr. vj.
Qri Qlat. ritè præparat. Ois Xci ana gr. v. o o ſem. ſœnic. Qlat. gr.
iiij. F. cum eſſent. ſuccin. Pil.

Multi ab *alöeticis* in hoc affectu abhorrent propter virtutem ad-
 ſtrictoriam, quam poſt ſe relinqvunt ordinariam. Verùm hic metus
 de nihilo eſt, & vis adſtrictoria facilè corrigitur per alia v. g. *Qrialia*
 &c. Qvippe inter laxativa aloë optima aliquantulum correctæ tùm
 inſons, tùm efficax apparet juxta *Helmontij* teſtimonium. Eſt enim
 baſſamica, ventriculum roborat, abſtergit, attenuat, putredini reſi-
 ſtit, vermes enecat &c. Senum quoque ventriculis amica eſt, non ſo-
 lùm, quod ſenes ſint frigidioreſ; Verum etiam, quia Senes maximè
 propenſi ſunt ad cruditatem acidam generandam, quod & ſudores eo-
 rum acidi & alia docent. Acidæ verò cruditati maximè reſiſtunt a-
 mara, ideoque & putredini reſiſtunt. Et licet interdum oſcula vena-
 rum hæmorrhoidalium ſtimulet & aperiat; fit tamen cum levamine
 ægrorum. Quantoperè enim hæmorrhoidum fluxus ſublevet me-
 lancholia laborantes, abundè teſtatur *Coi* experientia.

Diaphoretica uti cunctis fermè morbis; ita maximum quoque
 huic malo ſubſidium afferunt. Ea verò ſint euſtomachica, ſpirituum
 vitalium texturæ congrua, Archeum illuſtrantia & illuminantia. Sunt
 autem ſudorifera huic affectui inſervientia potiffimùm *aromatica* &
Oia tam vegetabilium, quàm animalium, ut & ex mineralibus petita va-
ria.

Per *aromatica* intelligimus omnia, quæ calorem præ ſe id eſt, quæ
 partibus volatilibus ſpirituofis ſcatent, omnia juxta Medentis ſenten-
 tiam ad ægri ſalutem peragunt, tonicum cujuſque partis vigorem fo-
 vent, Archeo congruunt, impuritates undique reſolvunt, abſtergunt,
 abluuntque, liberam reſpirationem conciliant, ſerum ſaluſum, aci-
 dum, auſterum, corroſivum, malè moratum ad indolem ſvavem, be-
 nignam, bonam, mitemque reducunt, zefim vel efferveſcentiam mi-
 ſcellaneorum degenerum confutant, borborygmof, item meteora-
 caput

caput ferientia præcipitant, dissipantque, nihil usquam intactum relinquant, quo infirmus ad valetudinem revocetur,

Quænam sint *Oia vegetabilium volatilia*, & quò modò à Vulcano & sine eò fabricentur, optimè docet Celebratissimus *Wedelius in nuperrimo edito experimento chemico novo de Oe volatili plantarum*.

Ad Oia animalium volatilia tanquam sacram anchoram in *scorbuticis, hypochondriacis, hystericis, aliis*, confugiunt modernorum Practicorum plurimi, quos inter amplissimus *Sylvius*, qui præclaram in medendo laudem legitimo Oium horum in *Artus attenuatorum* usu consecutus, in praxi suâ vix iis quicquam frequentius commendat, præprimis in præfatione alterâ lib. 1. *praxeos* aperte pronunciat: Nullam esse animalis adeoque hominis partem consistentem aut fluidam, utilem aut superfluum, quæ non abundet *Oe volatili*, animalibus penè proprio: à quo proinde benè aut malè constituto sicut sæpius pendet valetudo adversa vel prospera, ita ab eodem vitiatum corrigentè expectanda meritò valetudinis labefactatæ instauratio & integræ conservatio, quin ejusdem confirmatio, imò augmentatio. Et illustre hujus celeberrimæ *Academiæ Decus Borrichius in Hermetis, Egyptiorum & Chemicorum sapientiæ ab Hermannii Conringii animadversionibus vindicata* p. 333. notavit: convulsas & hystericas illustres plebejasque, aliis pharmacis etiam longo usu probatissimis nihil opis spondentibus, nihil afferentibus, ex oleo & spiritu cranii humani cum suo *Oe* remisso, propinatoque ex vino præsentissimum sensisse auxilium. Rationem subnectens Vir Celeberrimus, in affectibus, *inquit*, prænaratis nervosæ partes membranæque ab humore acri, & acidiusculo punguntur, sollicitanturque ad contractionem; ingesto autem cum spiritu oleo hoc tenuiore, & ad locum affectum ope Oium comitantium propagato, partes antè hinc indè compunctæ, vellicatæque ita obliniuntur, mitiganturque, ut acidi penetrantis aculeos minus sentiant. Cui adstipulatur, quem ego discipulorum observantissimus ceu alterum Parentem veneror Amplissimus D. D. *Simon Paulli*, trium Danorum Regum Archiater celebratissimus, Qui antepilepticum è sp. cranii humani *Oe* suo prægnante magnam partem confectum magna laude usurpavit, eoque desperatas propemodum epileptias percuravit, Præceptore *Daniele Sennerto* in cujus urna illius cineribus perpetuum ver comprecatur.

Quæ

Quænam sint sudorifera ex regno minerali petita & huic scopo inservientia, vel leviter saltem in studio chemico versato patebit, nedum inter Vulcani sacra diu multumque versato.

Quod si cui formula sudorifera arrideat, sequens parari poterit:

Recip. ∇ æ fœnicul. Cinam. ana $\mathbb{Z}$ s. Theriacal. $\mathbb{Z}$ vj. $\odot$ is volat. C.C. $\mathbb{S}$ ij Diaphoret. ana $\mathbb{Z}$ s. $\curvearrowright$ $\odot$ is $\mathbb{X}$ ci gtt. XX. Syrup. card. bened. $\mathbb{Z}$ s. M. f. Haustulus unâ vice assumendus.

Hoc loco notandum venit, ∇ as stillatitias vulgares seu communi $\mathcal{Q}$ landi methodo præparatas & vehiculi loco interdum usurpari solitas, plantarum laticem, non sangvinem, phlegma non spiritum aut $\odot$ em continere: quales igitur effectus in perarduis spinosis calamitatibus (prout pollicentur vegetabilium quorundam crases) qveant istæ exserere, quivis in praxi versatus facillè videt. Quapropter ut efficaciores evadant, analysis prævia requiritur per odorem putrefactivum, quò detur opportunitas $\odot$ em, oleum ac spiritus proliciendi. Processum ipsum, quomodo ex plantis hæc viâ elici possit $\odot$ volatile, in *Transactionibus Philosophicis Anglicanis* recensuit D. D. Cox.

Diuretica symbolum quoque suum huc conferunt, qualia sunt $\odot$ ia lixivialia v. g. petroselini, stipitum fabarum, genistæ, ononidis, juniperi, fimi columbini, tardas $\square$ næ vias aperientia, hypochondriacorum amurcam eliminantia, pessimam illam corporis furiam acidum ubi ubi in corpore hærens exarmanantia. Maximè commendatur $\odot$ compositum, quod ex remanentia $\curvearrowright$ tus $\odot$ is $\mathbb{X}$ ci elicitur, egregium diureticum, dictum digestivum hypochondriacum. Item $\curvearrowright$ tus aperitivus *Penoti*, cujus virtus dependet à parte silicum & $\odot$ is $\mathbb{Q}$ ri volatilis. *Helmontius* diligentissimè commendat lapides $\odot$ diureticos, in tract. à sede animæ ad morbos §. 25.

Porrò emendant & corrigunt peregrinas & hostiles corporis aciditates ex $\mathbb{Q}$ ro præprimis parata medicamenta, in humoribus melancholicis crassisque incidendis & attenuandis, ideoque obstructionibus aperiendis magnam vim habentia v. g. $\curvearrowright$ tus $\mathbb{Q}$ ri volatilis, $\odot$ $\mathbb{Q}$ ri volat. Cremor seu crystalli $\mathbb{Q}$ ri. *Henricus ab Heer lib. 1. obs. 1.* plus tribuit

Tartaro

Tartaro crudo per lotionem à partibus impurioribus liberato & pulve-
rifato, quàm crystallis anxius Chemicorum manibus inde præparatis.
It. Ferrus chalybeatus. *Ra* Si Ferrifata, Ferrus Vitriolatus, qui nisi sit ritè
præparatus, dira quandoque excitat symptomata, ut vomitus, cardial-
gias &c. id quod non Si Ferrum acceptum est referendum, sed Nutri
vitrioli sæpius impuro. Spectat huc etiam Tinct. Ferrum, Terra Ferrum fo-
liata ejusque liquor. Nutus salis Martii cum Ferro & Otero ana calcina-
tis paratus & cum liquore ex Terrâ Ferrum foliata mistus pro secreto habe-
tur, it. sp. salis Martii amissatus aut caryophyllatus pro curandis hypo-
chondriacis mille encomiis extollitur. Prodest etiam Elixir composi-
tum sequens:

R. Elixir. propriet. dulc. vel sine Acido parat. ℥vj.

*Liquor. terre fol. Tartari ℥iij. M. Dosis est à gutt. 30. ad 40.
in vehiculo appropriato manè & vespere.*

Paratur elixir dulce per alcalia vel fixa ut Sal Tartari, vel volat. cum
Nutu sal. Martii &c. Huc facit quoque Sal. Tartari nutritum ad ℥j. vel
R. Salis hypochondriaci ℥ss. (præparatur ex sal. tartar. & Otero ana parti-
bus æqualibus) S. Eröfnungs Salz auf einmahl aus einem Gläslein Wein
zunehmen. Imò solum nitrum depuratum commendatur hîc, præser-
tim ubi flatus aut phlogoses magis urgent, cujus usu desperatos hypo-
chondriacos ad extremam ferè maciem deductos feliciter curavit Bar-
tolet. tr. de dyspnæa lib. V. Cap. 4.

Nec negligendum hoc loco Sal volatile oleosum Sylvij. Ejus-
que Nutus polychrestus & carminativus, quibus ad discutiendos fla-
tus tam in ventriculo quàm in intestinis hærentes, maxima vis inest.

In hoc quoque affectu commendari solent sp. sal. & nit. dulces,
omnibus modis utiles, pituitam incidentes, bilem temperantes, fla-
tusque in sua generatione impediētes & genitos dissipantes, fermentum
ventriculi iners & cruditatem nidorofam corrigentes, obstru-
ctiones demùm solventes. Hi tamen à prudente Medico cum magna
cautione & parca manu propinandi & convenienti vehiculo probè re-
missi, ne sc. acidum atque austerum in subjectis ejusmodi plus satis ab-
undans intendatur, sicq; affectus contumacior reddatur. Quapropter
hâc de re eleganter Sylvius lib. I. prax. p. 830. Prudentia inquit, opus est Me-
dico, ut pro cæterorum in corpore simul existentium humorum diversitate seligan-

zur maximè remedia convenientia, undè mirum non est, si non habeant omnes Medici eundem semper successum, quamvis utantur iisdem medicamentis; sed non eodem tempore, ut nec in iisdem affectibus aut causis quorum determinatio pendet à iudicio practico, singulis suo tempore, loco ac mensurâ ritè adjudicante.

Ad fermentum Ventriculi corrigendum & humores pituitosos viscidos simul emendandos Vinum medicatum apprimè hîc convenit, contumaci morbo longiorem medicamentorum usum desiderante. Parari autem potest sequenti forma: Recip. Rad. enul. camp. Galang.

Calami arom. ana ℥j. Fol. Majoran. Rorismarin. centaur. min. menth. crisp. ana ℥ss. Sem. fenicul. dulc. carui, anisi, ana Drach. j. Cinamom. acut. Drach. ij. Cortic. arant. sic. Drach. j. Limat. Stis pura ℥j. Tartari opt. crud. Drach. jss.

Concisa & crasso modo contusa insuantur sacculo ex lind. albâ, cui in vase Vitreo lapideove angustioris colli immisso affundantur Vini albi Gallici ℥ XXX. Postquàm per horas XII. vel plures in cella steterit, quo tempore vis radicum & plantarum aromatica insinuabitur Vino, bibat æger haustum bis terve de die, aut manè jejuno stomacho, aut inter prandendum ac coenandum, prout cuique magis placebit, addendo in quovis haustu vel spiritus Salis vel Nitri dulcis gtt. XII. vel Elixir propriet. dulc. gtt. XX. Ubi penè consumtum est, aliud recens vinum in usurpati locum affundatur tam diu, donec vis aromatica penè omnis fuerit extracta.

Colophonis loco in auxilium vocanda Chalybeata, virtute Herculeâ, quâ pollent in hac hydra debellanda, cæteris haud inferiora. Inest enim Stis insignis vis absorbendi acida & roborandi fibras, Philosopho illo per Anem Helmontio, Tachenio in Hippocrate Chemico aliisque imò ipsa experientia teste. Reliquis verò omnibus præferunt alii limaturam Stis crudam, sed puram: Alii Stem cum sulphure præparatum: Alii ejus crocum cum salibus. Salia enim lixivialia cum limatura Stis concurrentia aggrediuntur partes acidas Stis, quò factò destruitur structura corporis Stis, crocusque in corpus assumptus saltem est alcalicus, qui ab acido ventriculi ita coagulari nequit, ut perfectam vitrioli naturam induat, destructo prius acido minerali. Aliàs Sts concurrens in acido fortiori degenerat in vitriolum, quibusdam

nauseosum, imò vomitorium, præsertim *Ætis* impuriore existente & tantillo licet *Æris* contagio inquinato, à quo vitriolo tunc intra corpus emergente pertinaces vomitus superveniunt.

Adhiberi etiam possunt Tincturæ *Æiales*, Tinct. *Ætis Zwelf*. Eff. sent. *Ætis* dulc. &c. Quas tincturas & essentias omnes, quanti ipsemet *Zwelferus*, vir de tota Medicina optimè meritus, æstimat, legere est in *pharmacop. Aug. Animadvers.* p. 437. Ubi apertè pronuntiat: Tincturas nil aliud esse, quàm simplices tantum *Ætis* solutiones, pro diversitate menstrui hæc vel illà tincturâ imbutas, quæ tamen vera *Ætis* essentia non est; sed ut plurimum ejus vitriolum sive metallum solutum, fucato tinctum colore. Quod autem in effectû valdè inter se differant, non fieri ob artificiosam eorum præparationem, sed propter menstruum affusum, cujus ratione magis vel minus efficaces, magisque aut minus aperientes vel adstringentes sunt, nec non volatiliores aliæ, aliæ fixiores.

Agmen claudunt ex fonte animali optima quoque emanantia pharmaca v. g. C. C. crudum, ustum & philosophicè calcinatum, Ebur sine *Δne*, corallia, oculi *♂*. Unicornu Grönländicum, dens equi marini, &c.

Hiscæ sexui seqviori propinandis commodè admisceri poterit Castoreum & ex hoc parata essentia tam simplex, quàm quæ composita magis ex castoreo & asa foetida cum *♂*ini Tartarificato parata, *▽*a hirundinum cum castoreo, *▽*hysterica *Crollii*, Elixir uterinum &c. Quibus meritò annumeratur myrrha omnem corruptivum acorem tollens, & balsamicâ vi quancunque corruptionem putrescentem inhibens, indeque ad vitam longam ab *Helmontio* commendata *Tract. Arcan. Paracels.* p. 626. *Paracelsus* ipse ceu optimum pestis præservans myrrham commendat. Tinctura E. salutis B. D. *Langii* ex myrrha cum sp. vini Tartarificato extracta, loco cujus & spiritus salis *❧ci* cum *♂* paratus pro menstruo capi potest, salutare erit remedium, corrigens acidum & resolvens viscidum.

Scybalis diu retentis & obstructionem inferentibus clysteres parari possunt emollientes & abstergentes.

In formulis pluribus hæc annectendis non ero prolixior. Com-

vel ad fastum, vel ad delicias, vel ad turpis lucri studium confert.
Sic age, O magne & misericors DEUS! cui volupe est de throno
omnipotentis mortalium miseras intueri, preces exaudire, infirmitati-
bus auxiliari in Numinis Tui gloriam! Annue precibus meis devotis-
simis, Clementissime Coeli ac Terræ Domine! Ita ego servorum Tuo-
rum minimus prostratus coram TE, gratiarum intimarum, devotarum,
maximarum holocaustum in hoc miserrimo miseriarum theatro offeram.
Quanto transiet vanitas, effugient infirmitates, dilabentur peccata,
totus totus per omnem eternitatem in misericordiæ
Tuae laudes resolver.

TANTUM!

Ad
Doctissimum. Medicine Candidatum

PAULUM BRAND.

Perge tuos ornare dies, doctamque medendi
Artem, morigero Numine, redde Tibi.
Hinc studiis, semper florens, Tibi laurea surgit;
Crede mihi, titulis non minor illa tuis.

Ædior P.

Th. Bartholinus.

SIMO-

SIMONIS PAULLI
EPISTOLARIS
GRATULATIO

AD

PAULUM BRANDIUM

Medicinæ Candidatum.

Σὺν Θεῷ

Præstantissimo, Doctissimoq; Juveni,

PAULO BRAND

Sunderburgo - Cimbri,

Medicinæ Candidato dignissimo,

S. P. D.

Pronuper quidem, SAC: REG: MAJESTATIS *Daniæ ac Nor-*
vagiæ Regis ac Dni. Dni. nostri Clementissimi, CHRISTIANI
QUINTI, vivat! vivat! vivat! & regnet in æternum: Medico
Castrensi Viro Clarissimo, Dno Johanni Valentino Willio,
Medicinæ Licentiatò, de Sparrâ quam nactus erat, dum condignè gra-
tularer, me nunquam panxisse carmina, publicitus confessus sum omni
populo; attamen non diffiteor in præsens, me admodum adolescen-
tem orbem patre, sed *Johanne Huswedelio* Præceptore, præ aliis Latinis
Poëtis, semper tanti perpemodum fecisse *Horatium*, quanti (absit ja-
ctantia dicto) *Alexander Magnus* cubitum iturus *Homerum*. Atque
hinc accidit, ut mihi grandævo Seni, præ ætate jam languido, mem-
oriâque fluxâ ac labili, nec dum exciderint illa *Horatii* tamen:

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calenteis
Solem utamus? patriâ quis exsul
se quoque fugit.

Hæc ad stateram mentis, dum ego examino accuratius, oppidò miror
cum ille ipse, aliò locò, *impigrum ad extremos Indos, currere mercato-*
rem observarit, ac *argentum aurumq; viliora virtutibus esse*, docuerit, ut
cum

cum aliis philosophis; cur sciscat aut decernat tamen: quod is, qui Patriam exsul se quoque fugiat: insuper habens, quod boni virtutis, non verò sceleratò habendi amore, patriam sint exules. Ut taceam, Plautum defendere, eum qui per virtutem perbitat, non interire. Et quid Nos non pro Patria? pro quâ Cicero, verâ ac Christiana religione, nunquàm initiatus, testatur, neminem bonorum dubitare, si ei sit profuturus, mortem oppetere. Pervelim ergò, honestò locò natos Juvenes, instar Ulyssis (quot autem annos, ipse domò abfuit aut peregrinatus est?) ad sèves Sirenum cantus, sive sociorum, sive comitum aures cerâ obturantibus; & suas quoque sibi, ad illa recensita ex Horatio, obturare: contra morigeros esse. & faciles aures præbere Isocrati ad Demonicum, hæc sèvadenti: Ne tepigeat longam ire viam, ad eos, qui se aliquid utile docturos profitentur: dum Mercatores rei familiaris augendæ gratiâ, tanta maria transmittant, turpe fuerit adolescentes, excolendi ingenij causâ, nec terrestre iter velle suscipere; quæ sibi dicta adolescentes putabunt, ut animo veluti inscribant. Et nonne Pythagoras ac Plato, ob animi, non verò Fortunæ bona comparanda, patriam extorres in Ægyptum contenderunt, minime, se fugientes, sed in se retrocedentes, ex parte animi bonis extructi, ita ut sua omnia secum portantes, saltate vacui coram latronibus viatores potuerint? Nonne Anacharsis, Scytharum Regis frater (sanè id admirandum) Athenas profectus est? Nonne Apollonius Indos ipsos invisit? proh! quales hi sunt Mystagogi, & sapientiæ Antistites? & hinc iterum Horatius frustra est, dum opinatur, quod

Terras non animum mutant, qui trans mare currunt;

horum exemplis refutatus, dum iter faciendo, unicè id studuerint, saluberrimis sapientiæ præceptis institutisque ut abundarent, domum reduces,

At præstantissime Juvenum BRANDI dilectissime, quid opus est, modò recensitos Philosophos, hîc loci veluti in Scenam introducere ceu penulâ indutos, eos ut respicias aut imiteris; cum constet, te non leniter tinctum, sed penitus imbutum esse politiori literaturâ, atque adeò ipse horum omnium, & similium, sponte tuâ aut ultrò recorderis? maximè cum Parentis admodum Reverendi Viri, Do-

mini *Magistri NICOLAI BRAND, Ecclesiae Sunderburgensis Pastoris Primarij*, praeclarè de eâ meriti, autoritate & jussu, jam pridem aliquot Academias Germanicas, non lustraveris solùm, sed per aliquot annos in iis substitieris, unde pronuper in Regiam hanc Celebratissimam Academiam advena, nunc, cum virtus nomen inane non sit, rectè ac decorè illius *praemium petas*, ac in eâ, priusquam Doctorali tiarâ caput redimiaris, seorsum renuatieris Medicinæ Licentiatu, Dno D. OLAO BORRICHIO hujus publici actus Praeside, ac Domino Doct. THOMA BARTHOLINO brabeutâ, jam pridem vivi per ora Virum instar *Ennii Patris*, qui volitant, mori quos Musæ vetant.

Ceterum cum Tuus Dn. *Patens*, ætate sexagenario major, Venerandus Senex, in spem ac commodum Patriæ, Te fratresque tuos, adeo prograviter contendat, vos ut bonos ac Reipublicæ utiles cives, temporî, Patriæ sistere, nâ ille ob hæc omnia, jam pridem id promeritus est, ut in Prytaneo, ex publico alatur, Athenis receptâ olim consuetudine.

Quem si complures interim imitarentur Parentes; nonne longè rectius, filiorum fortunis, secus ac quandoque usu venit, prospicerent? quippe nonnulli eorum, cæci amoris in prolem ductu, malum! filios suos usque adeo sive deperiant, sive demoriantur; ut nolint ex ulnis aut amplexibus suis, illos dimittere; qui post dein quoque, non Lycurgi sagacem venaticum, sed ollarem famelicum canem (quorum Plutarchus meminit) repræsentant; discincti; ineruditi aut inertes; obscuris in locis ætatem extendentes; paterna abligurientes bona; solidos dies cum noctibus comburentes; Tabaco fumantes; Thée insuper sorbentes. Atque hoc ipsum est, vel sedentes, haud peregrinantes semetipsos fugere, & se dare turpiter. Hinc mecastor appositè factis, mihi vernaculâ ac maternâ lingvâ, ejusmodi gurguliones, ac terræ inutilia pondera, vocantur: *Wömen-Söns / Darselinge / Döge-nichte / so nicht weeten eenen sulen Hund uth dem Iven tho locken / edder dar tho nicht dögen*: Qui contra mihi ego grator ipse, & me circumspicio, quod DEO duce, & auspice DEO, meos octo numero fili-

os, hodie qui adhuc DEI gratia ex decem superstites, abhinc aliquot annos, & domi meae liberaliter eduxerim, & post dein, non omnes quidem literis, sed aliis quoque honestis studiis, mercimoniis emundis, vendendisque necessariis, (quae Germanicè appellanda veniunt die Buchhaltereyen/über grosse weislauffrige/unrichtige vernorrene Rechnungen /) deditos ad exterarum Regiones, aut in Germaniam, Belgium, Britanniam, Galliam, Hispaniam, imò in Indiam orientalem, solius DEI, Regumque nostri Clementissimi in honorem, ac in Patriae commodum ac emolumentum, amandarim: Et cur ob haec mihi non gratarer? Quippe Regius Propheta David Psalmista, quanti faciat ac praedicet fecundum conjugium, ex his illius constat, Buchananano incomparabili Poeta Christiano interprete:

Victum, labore, vix parabis, anxio,
Ni DOMINUS admorit manum,

At ille amicis interim suis dabit

Purum soporem somniis:

Domumque dulci prole fatam liberum

Præbebit. Hæc hæreditas,

Hæc illa merces, quæ beat charos sibi,

Rerum ille DOMINUS omnium.

Facere ergò aliter non possum, quin quoque collaudem, similes Parentis tui, fortunas & institutum, Te, quoque ad longè distitas Regiones, studiorum causâ mox ablegaturi; Tibi verò perdocte BRANDI, Medicinæ Candidate, pro re natâ, præ aliis tuis fratribus, toto pectore fausta ac felicia omnia comprecor: D. T. O. M. veneraturus, ut quemadmodum salvus ac incolumis, ex Parentis amplexu dimitteris aut abis, ita quoque Te reduce, DEO propitiô vos invicem amplectamini. Vale mi BRANDI filii loco dilectissime, qui te paternè veluti adhortor & admoneo; ut si qui sunt eruditorum, passim habitantium, qui me norunt, illos meo

nomine, officiosissimè salutare memineris; Te verò ipsum, etiam atque etiam ætatem valere, salvereque jubeo.

Tuus usque ad Aras & Urnam

SIMON PAULLI Sim: Nep. Hen: Fil:

Regiorum Medicorum Senior,
quartum supra Septuagesimum agi-
tans annum.

Dabam in Regia Haffniensi Academia, Anno 1676. 18. Se-
ptembr. quò, illa ipsa hora, dum hæc ad Te perscribo, magno animi
prolubio, à filio meo charissimo *Johanne Joachimo Paulli*, Negotio-
rum nostratis Danicæ Societatis Orientalis, in Insula Java Bantamii,
tabularum, accepti & expensi, per quadriennium circiter præfe-
ctò, literæ optatò mihi sunt redditæ. Servet illum DEUS illiusque
fratres porrò publico commodo; Filiam verò unicam charissimam,
unà cum matre conjuge mihi svavissimâ, ætatem superstites: Atque
hæc summa paterni mei voti est.

VIR CLARISSIME,

Medicorum filios appellabat Vetustas, non tam eos, quĩ
vitæ primordia Medicis debebant, quam quibus
decretum, adhærescere Medentium disciplinis, ca-
ptare omnes in hoc genere proficiendi occasiones, & re at-
que opere ad saluberrimæ, sed unà difficillimæ artis secre-
tiora ὄργην suam & impetum generosum declarare. Cæte-
ri, utcunque honorato se nomine nonnunquam circum-
dent, & per pseudothyrum ingerant in hæc sacra pedem,
inter carcinomata veriùs, quàm filios artis censendi, quibus
ἀπειρία, κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν καμήλιον imperat, & meden-
di

di methodus foedè ignoratur. Te jam diu non Germanicæ
modò Academia, sed & Regia hæc nostra in germanissimis
Æsculapii filiis meritò numeravit, ut qvi ad genii dexteri-
tatem, sollicitudinem omnem, industriam, conatum-
que infatigabilem adjeceris; dignus qvi ex hoc tempore
non inter filios amplius, sed Magistros Artis numerere. Quod
ut aliis mihi frequenter experimentis testatum reddidisti,
ita publicâ nunc de MORBO HYPOCHONDRIACO di-
sputatione luculenter confirmas. Perge ita, *Clarissi-
me Brandt*, & quam ex merito jam Tibi decernimus Lau-
rum Medicam, recentibus quorannis baccis redde flori-
diorem; de quo cum ambigere non patiatur experrecta
Tua sedulitas, ego currenti calcar non addam, sed ex
animi intimo sensu vovebo, ut

Dii Tibi dent annos, & Te nam cetera sumes.

Hafniæ 20. Sept. Anni 1676.

OLAUS BORRICHIVS.

AD

Clarissimum & Pereruditum

DN. PAULUM BRAND,

Pro Licentiâ ad Honores Medicos
disputantem.

Non lucet lucus; nec BRAND, quia diceris;
uris;

Sed quia de Clara es Lux benè nata, Domo.

Plura Tibi merito vellem nunc scribere Amico;
Sed mihi tum tempus, tum quoque vena
negat.

Est aliquid votis quod possem dicere; dico,
Sit tua ter felix, BRAND, Medicina malis.

Amicè scripsit

CHRISTIANUS NOLDIUS
S.S. Theolog. P.P.

Amico in paucis charo

V I R O

Prestantissimo, Eruditissimoq;

DN. PAULO BRAND

Pro Licentia ad honores medicos
disputanti,

Cum mihi TE, BRANDI, tua virtus fecit
amicum,

Virtuti applaudo, mente manuq;, tuæ.

Virtutem comitatur honos: cape premia digna:

Post tyrocinium, Practicus artis eris.

Nempe Tibi hoc meritisq; tuis BARTHLINUS uterq;.

Hoc Tibi BORRICHIVS, WORMIADESq; dabunt.

Verus

21
Verus es illius, quam tractas, filius artis:

Sic, vel BORRICHIO teste, vocandus eris.

Excolis ingenii dotes, studiôq; perenni

Scripta legis Coi, Pergameiq; Senis.

Nec Tibi prisca Hygiea sat est; nova dogmata jun-
gis,

Quæ sapiens HELMONT, quæ PARACELsus
habet.

Abdita natura cultrô rimaris, & igne:

Sæpe tuas maculat carbo, cruorq; manus.

Scrutaris vires herbarum, & nomina signas:

Flora domi in chartis vernat oratq; tuis.

Non Venus & vinum Tibi cura, aut alea fallax:

Sola Tibi virtus, cum pietate, placet.

Italia conantem quis non laudabit? amore,

Quis dignum, ex merito, non putet esse suo?

Gratulor ex animo Patrieq; tuôq; Parenti!

Nam Patris & Patrie es lausq; decusq; tuæ.

Gratulor usq; Tibi! concessa LICENTIA quando est,

Postea Apollineâ DOCTOR in arte clues.

Interea quascunq; abeas peregrinus in oras,

Sit Deus ipse tuæ duxq; comesq; viæ!

Tessera amicitiae sit tandem hæc clausula nostræ:

BRANDI, dum vivo, sum maneq; Tuus.

Gratulabundus scripsit

B. SIWERS,



